



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De sacramento extrema vnctionis. Quæstio 29.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

Decr. d. Ad secundum dicendum, quòd quamvis in eodem genere peccati clericus plus peccet quam laicus; tamen non imponitur ei penitentia solemnis, ne ordinetur in contemptum: unde non defertur persona, sed ordini.

Ad tertium dicendum, quòd magna peccata indigent magna cautela ad suam curationem: & ideo in iunctio penitentiae solemnis, quae non nisi pro gravissimis peccatis fit, soli Episcopo referatur.

QVÆST. XXIX.

100c. Tri. ss. 10. de sac. extrema unctio. cap. 2. De sacramento extremae unctioⁿis † quantum ad ipsius essentiam & institutionem, in novem articulos divisa.

Post hæc considerandum est de sacramento extremae unctioⁿis, de quo quinque videnda sunt.

- ¶ Primo, de essentialibus ipsius, & de eius institutione.
- ¶ Secundo, de effectu ipsius.
- ¶ Tertio, de ministro ipsius.
- ¶ Quarto, de eo cui conferri debet, & in qua parte.
- ¶ Quinto, de eius iteratione.
- ¶ Circa primum quaeruntur novem.
- ¶ Primo, utrum extrema unctio sit sacramentum?
- ¶ Secundo, utrum sit unum sacramentum?
- ¶ Tertio, utrum hoc sacramentum fuerit à Christo institutum?
- ¶ Quarto, utrum oleum oliuae sit conveniens materia huius sacramenti?
- ¶ Quinto, utrum oporteat oleum esse consecratum?
- ¶ Sexto, utrum oporteat materiam huius sacramenti per Episcopum consecrari?
- ¶ Septimo, utrum hoc sacramentum habeat aliquam formam?
- ¶ Octavo, utrum forma huius sacramenti debeat proferi per orationem deprecativam?
- ¶ Nono, utrum praedicta oratio sit competens forma huius sacramenti?

Utrum extrema unctio sit sacramentum ?

Ad primum sic proceditur . Videtur , quòd extrema unctio non sit sacramentum . Quia sicut oleum assumitur ad infirmos , ita ad catechumenos . Sed unctio , quæ fit oleo ad catechumenos , non est sacramentum . Ergo nec extrema unctio , quæ fit oleo ad infirmos .

III
Tho. in 4
d. 23 q. 1
ar. 1. q. 1
& seq.

¶ 2 Præterea , Sacramenta veteris legis fuerunt signa sacramentorum nouæ legis . Sed extrema unctio non habuit aliquam figuram in veteri lege . Ergo non est sacramentum nouæ legis .

¶ 3 Præterea , Secundum Dionysium * , omne sacramentum est , vel ad purgandum , vel ad illuminandum , vel ad perficiendum . Sed extrema unctio non ponitur , neque ad purgandum , nec ad illuminandum , (quia hoc soli Baptismo attribuitur) neque ad perficiendum (quia hoc secundum ipsum Dionysium * , pertinet ad Chrisma & ad Eucharistiam) . Ergo extrema unctio non est sacramentum .

Ex c. 30
eccl. hier.

* c. 2. eccl.
hierar.

SED contra , Sacramenta Ecclesiæ sufficienter subueniunt defectibus hominum secundum quemlibet statum . Sed exeuntibus non subuenit aliud , quam extrema unctio . Ergo ipsa est sacramentum .

Cō. Flor.
sup. unio
ne lac-
binorum
& Arme
norum in
doctr. de
sacr. &
in decr.
d. 95 c. 30.

¶ Præterea , Sacramenta nihil aliud sunt , quam quædam spirituales medicinæ . Sed extrema unctio est quædam spiritualis medicina : quia valet ad remissionem peccatorum , vt habetur Iacob. 5 . Ergo est sacramentum .

RESPONDEO dicendum , quòd in his , quæ ecclesia visibilibus operatur , quædam sunt sacramenta , vt Baptismus : quædam sacramentalia , vt exorcismus . Quorum est hæc differentia : quia sacramentum dicitur illa actio Ecclesiæ , quæ attingit ad effectum principaliter intentum in administratione sacramentorum : sed sacramentale dicitur illa actio , quæ quamuis non pertingat ad illum effectum , tamen ordinatur aliquo modo ad illam actionem principalem . Effectus

Q 2 246

autem intentus in administratione sacramentorum, est curatio morbi peccati. Vnde Iſa. 27. Hic est omnis fructus vt tollatur peccatum. Et idè cum ad hunc effectum pertingat extrema vnctio, vt ex verbis Iacob patet, nec ordinetur ad aliud sacramentum, quasi ei annexum: constat, quòd extrema vnctio non est sacramentale, sed sacramentum †.

*Iacob 5.
† Innoc 1
in ep. ad
Decentium
Eugubium.
Episc. 8.
* In 4 d.
6. q. 2. ar.
2. q. 2. in
cor. & in
in 3 p. q.
71 ar. 1.
corp.*

*† Hebr. 7.
* simile
quid ha-
betur in
1. 2. q. 102
a. 5 ad 3
& 3 p. q.
65 ar. 1.
ad 4.
* loc. cit.
in arg. 3.*

*Infra 9.
30. ar. 1.*

Ad primum ergo dicendum, quòd oleum, quo catechumeni inunguntur, sua vnctione non perducit ad peccati remissionem, quia hoc ad baptismum pertinet: sed aliquo modo ad baptismum disponit, vt supra dictum est * : & idè illa vnctio non est sacramentum, sicut vnctio extrema.

Ad secundum dicendum, quòd hoc sacramentum immediatè hominem ad gloriam disponit, cum ex euntibus à corpore detur: & quia in veteri lege n̄ erat adhuc tempus perueniendi ad gloriam, quia n̄ minem ad perfectum adduxit lex † * : idè illud sacramentum ibi præfigurari non debuit per aliquod sacramentum sibi respondens, sicut per figuram eundem generis; quamuis per figuram remotas aliquo modo figuratum sit in omnibus curationibus, quæ leguntur in veteri testamento.

Ad tertium dicendum, quòd Dionysius* non facit aliquam mentionem de extrema vnctione, sicut nec de pœnitentia, nec de matrimonio: quia ipse non intendit determinare de sacramentis, nisi quatenus per ea innotescere potest ecclesiastica hierarchia ordinata dispositio, quantum ad ministros & actiōnes ministrorum & recipientes. Tamen cum per extremam vnctionem aliquis consequatur gratiam, & remissionem peccatorum: non est dubium, quòd extrema vnctio habet vim illuminatiuam & purgatiuam, sicut Baptismus, quamuis non ita plenam.

ARTIC. II.

¶ Vtrum extrema vnctio sit vnum sacramentum?

112

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd extrema vnctio non sit vnum sacramentum. Quia vnctio

vnitas rei est ex sua materia, & ex sua forma: cum ex eodem res habeat esse & vnitatem. Sed forma huius sacramenti frequenter iteratur, etiam eadem vice & materia pluries, cum inunctio adhibeatur secundum diuersas partes. Ergo non est vnum sacramentum.

*Infra q.
32. ar. 5.
et 6.*

¶ 1. Præterea, Ipsa vnctio est sacramentum: ridiculum enim est dicere, quod oleum sit sacramentum. Sed sunt plures vnctiones. Ergo sunt plura sacramenta.

¶ 3. Præterea, Vnum sacramentum ab vno ministro perfici debet. Sed in aliquo casu extrema vnctio non potest perfici ab vno ministro: sicut si post primam vnctionem factam sacerdos moriatur; tunc enim alius sacerdos debet ulterius procedere. Ergo extrema vnctio non est vnum sacramentum.

SED contra, Sicut se habet immersio ad baptismum, ita se habet vnctio ad hoc sacramentum*. Sed plures immersiones sunt vnum sacramentum baptismi. Ergo & plures vnctiones sunt vnum sacramentum extremæ vnctionis.

** 3. p. 9.
66. ar. 8.*

¶ Præterea, Si non esset vnum sacramentum, tunc facta prima vnctione non oporteret ad perfectionem sacramenti, quod fieret secunda: quia quodlibet sacramentum per se habet esse perfectum. Sed hoc falsum est. Ergo est vnum sacramentum.

RESPONDEO dicendum, quod vnum numero, per se loquendo, dicitur tripliciter. Vno modo, sicut indiuisibile, quod nec actu, nec potentia est plura: vt punctus & vnitas. Alio modo, sicut continuum, quod quidem actu est vnum, sed plura potentia: vt linea. Tertio modo, sicut perfectum aliquid, quod ex pluribus partibus constituitur; (vt domus) quod est multa quodammodo etiam in actu, sed illa multa conueniunt in aliquo vno. Et hoc modo quodlibet sacramentum dicitur vnum, in quantum multa, quæ sunt in vno sacramento, adunantur ad vnum significandum vel causandum*: quia sacramentum significat.

*3. p. 9. 73
ar. 2. cor.*

** 3. p. 9.
62. ar. 2.*

Q 3 gnifi.

gnificando causat. Et ideo quando vna actio sufficit ad significationem, vnitas sacramenti consistit in illa actione tantum, sicut patet in confirmatione. Quando autem significatio sacramenti potest esse, & in vna, & in multis actionibus, tunc sacramentum perfici potest, & vna actione & pluribus: sicut Baptismus vna immersione & tribus: quia ablutio, quæ significatur in Baptismo, potest esse per vnã immersionem, & per multas. Quando autem perfecta significatio non potest esse nisi per plures actiones, tunc plures actiones sunt de perfectione sacramenti, sicut patet in Eucharistia, quia refectio corporalis, quæ significat spiritualem, non potest esse nisi per cibum & potum. Et simile est in hoc sacramento: quæ curatio interiorum vulnerum non potest perfecte significari nisi per appositionem medicinæ ad diversas vulnerum radices: & ideo plures actiones sunt de perfectione huius sacramenti.

Ad primum ergo dicendum, quod vnitas totius perfecti non tollitur propter diuersitatem materiæ, aut formæ, quæ est in partibus totius. Sicut constat quod non est eadem materia carnis & ossis, ex quibus constituitur vnus homo, nec eadem forma: & similiter etiam in sacramento Eucharistiæ, & in hoc sacramento, pluralitas materiæ & formæ vnitatem sacramenti non tollit.

Ad secundum dicendum, quod quamuis illæ actiones sint plures simpliciter, tamen vniuntur in vna perfecta actione, quæ est vnctio omnium exteriorum sensuum, quibus hauritur morbus interior.

Ad tertium dicendum, quod quamuis in Eucharistia si post consecrationem panis moriatur sacerdos, alius sacerdos possit procedere ad consecrationem vini, incipiens vbi ille dimisit, vel etiam incipere a capite supra aliam materiam: tamen in extrema vnctione non potest à capite incipere, sed debet semper

* 3. p. 9. procedere: quia vnctio in eadem parte facta tantum
§ 2. ar. 2. valet, ac si consecraretur bis eadem hostia*: quod
nullo

nullo modo faciendum est. Nec tamen ministro-
rum pluralitas tollit unitatem huius sacramenti, quia
instrumentaliter tantum operantur. Mutatio autem
marteorum non tollit unitatem operationis fabri.

ARTIC. III.

Utrum hoc sacramentum fuerit à Christo in-
stitutum?

113

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd hoc
sacramentum non fuerit institutum à Christo.
Quia de institutione sacramentorum, quæ Christus
instituit, fit mentio in Euangelio, sicut de Euchari-
stia & Baptismo. Sed nulla fit mentio de extrema
unctione. Ergo non est à Christo instituta.

¶ 2 Præterea, Magister * expresse dicit in 4. di- *li. 4. sent.*
stinct. 23. quod est institutum ab Apostolis. Ergo ip- *d. 23. §. C*
se Christus per se non instituit.

¶ 3 Præterea, Sacramentum quod Christus insti-
tuit, etiam ipse per se exhibuit, ut patet de Euchari-
stia & Baptismo. Sed hoc sacramentum nulli ipse
exhibuit. Ergo per se non instituit.

SED contra, Sacramenta nouæ legis sunt dignio-
ra, quàm sacramenta veteris legis. Sed omnia sacra-
menta veteris legis sunt à Deo instituta. Ergo mul-
to fortius omnia sacramenta nouæ legis habent insti-
tutionem ab ipso Christo.

¶ Præterea, Eiusdem est instituere, & statutum re-
mouere. Sed ecclesia quæ in successoribus Apосто-
lorum habet eandem auctoritatem, quam Apostoli
habuerunt, non posset auferre sacramentum extre-
mæ unctionis. Ergo Apostoli non instituerunt, sed
ipse Christus.

RESPONDEO dicendum, quòd circa hoc est du-
plex opinio. Quidam enim dicunt, quòd sacramen-
tum istud, & confirmationis, Christus non instituit
per se, sed apostolis instituendum dimisit: quia hæc
duo propter plenitudinem gratiæ, quæ in eis confer-
tur, non potuerunt ante Spiritus sancti missionem,
plenissimam institui: unde sunt ita sacramenta nouæ

Q + legis,

legis, quòd in veteri lege figuram non habuerunt. Sed hæc ratio non multum cogit : quia sicut Christus ante passionem suam promisit plenam Spiritus sancti missionem, ita potuit instituere hæc sacramenta. Et ideo alij dicunt, quòd omnia sacramenta Christus instituit per seipsum : sed quædam per seipsum promulgauit, quæ sunt maioris difficultatis ad credendum ; quædam autem Apostolis promulganda reseruauit, sicut extremam vnctionem & confirmationem. Et hæc opinio pro tanto videtur probabilior, quia sacramenta ad fundamentum legis pertinent : & ideo ad legislatorem pertinet eorum institutio : & iterum, quia ex institutione efficaciam habent, quæ eis non nisi diuinitus inest.

Ad primum ergo dicendum, quòd multa Dominus fecit & dixit, quæ in euangelijs non continentur. Illa enim præcipue curauerunt Euangelistæ tradere, quæ ad necessitatem salutis & ecclesiæ dispositionem pertinent : & ideo potius institutionem Baptismi, & pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & ordinis factam à Christo narrauerunt, quàm extremæ vnctionis vel confirmationis, quæ neque sunt de necessitate salutis, neque ad ad dispositionem, siue distinctionem Ecclesiæ pertinent. Tamen etiam de olei vnctione fit mentio in euangelio, Marci 6. vbi dicitur, quòd Apostoli oleo vngebant infirmos.

¶ loc. cit. in arg. 2. Ad secundum dicendum, quòd Magister dicit ab Apostolis institutum, quia per doctrinam Apostolorum nobis promulgata est eius institutio.

Ad tertium dicendum, quòd Christus non exhibuit aliquod sacramentum, nisi quod ipse accepit in exemplum : accipere autem pœnitentiam & extremam vnctionem sibi non competebar, quia sine peccato erat : ideo ipse non exhibuit.

*Virum oleum oliuæ sit conueniens materia
huius sacramenti ?*

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quòd oleum oliuæ non sit conueniens materia huius sacramenti. Quia hoc sacramentum immediate ad incorruptionem ordinat. Sed incorruptio significatur per balsamum, quod in chrismate ponitur. Ergo chrisma esset conuenientior materia huius sacramenti.

114
Tho. ubi
sup. ar. 3.
q. 1. C.
seq.

¶ 2 Præterea, Hoc sacramentum est spiritualis medicatio. Sed spiritualis medicatio per vini appositionem significatur, sicut patet Luc. 10. in parabola de sauciato. Ergo vinum etiam esset conuenientior materia huius sacramenti.

¶ 3 Præterea, Vbi est maius periculum, ibi debet esse commune remedium. Sed oleum oliuæ non est commune remedium, quia non inuenitur in qualibet terra. Ergo cum hoc sacramentum detur exuentibus, qui sunt in maximo periculo, videtur quòd oleum oliuæ non sit materia conueniens.

Al. communius
adhiberi
remed.

SED contra est, quod Iacob. 5. oleum materia huius sacramenti determinatur. Sed oleum proprie non dicitur nisi oleum oliuæ. Ergo hoc est materia huius sacramenti.

¶ Præterea, Spiritualis sanatio per olei inunctionem significatur, ut patet Isa. 1. ubi dicitur, Plaga tumens non est curata medicamine, neque fota oleo. Ergo conueniens materia huius sacramenti est oleum.

* Al. un-
ctionem.

RESPONDEO dicendum, quòd spiritualis sanatio, quæ in fine adhibetur, debet esse perfecta, quia post eam alia non relinquitur; & lenis, ut spes, quæ exuentibus est maxime necessaria, non frangatur, sed foueatur. Oleum autem lenitiuum est & penetratiuum: vsque ad intima, & etiam diffusiuum: & ideo quantum ad verumque prædictorum*, est conueniens materia huius sacramenti. Et quia oleum principaliter nominatur oliuæ liquor, cum alij liquores solum ex similitudine ad ipsum, Olei nomen acci-

* In hos
corp.

runt,
Chri-
stianus
ramen-
entia.
r scip-
is ad
ulgan-
confir-
ur pro-
is per-
um in-
cacion
omina-
entur.
adent,
tionem
ismij, &
ctam à
onis vel
te salu-
onem.
ctione
r, quòd
dicat ab
ostolo-
n exhi-
cepit in
extere-
sine

R-

Concil.
Florent.
in doct.
de Sacra-
ment.
li. 1. De-
cret. ti.
15. ca. 1.

accipiant: ideo oleum oliuæ etiam debet esse, quod assumitur in materiam huius sacramenti *.

Ad primum ergo dicendum, quod incorruptio gloriæ est res non contenta in hoc sacramento: nec oportet, quod tali rei significatio materiæ respondeat. Unde non oportet quod balsamum ponatur in materia huius sacramenti *: quia balsamum, propter odorem, pertinet ad bonitatem famæ; quæ de cætero non indigent propter se exeuntes, sed indigent tantum nitore conscientiæ, qui per oleum significatur.

Ad secundum dicendum, quod vinum sanat mordendo; sed oleum leniendo: & ideo curatio per vinum magis pertinet ad penitentiam, quam ad hoc sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod oleum oliuæ quavis non ubique crescat, tamen de facili potest ad quemlibet locum transferri. Et præterea hoc sacramentum* non est tantæ necessitatis, quod exeuntes sine hoc sacramento non possint salutem consequi.

ARTIC. V.

Vtrum oporteat oleum esse consecratum?

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod non oporteat oleum esse consecratum. Quia hoc sacramentum habet unam sanctificationem in usu per formam verborum. Ergo superflua alia sanctificatio, si ad materiam ipsius fiat.

¶ 2 Præterea, Sacramenta habent efficaciam, & significationem in ipsa materia. Sed significatio effectus huius sacramenti competit oleo ex naturali proprietate ipsius, efficacia autem ex institutione diuina. Ergo non est necessaria aliqua sanctificatio materiæ.

¶ 3 Præterea, Baptismus est perfectius sacramentum quam extrema unctio. Sed in baptismo non præexigitur materiæ sanctificatio quantum est de necessitate sacramenti. Ergo nec in extrema unctio.

SED contra est, quod in omnibus alijs unctio- nibus est materia consecrata prius. Ergo cum hoc sacra-

ut disti-
est ar.
præced.
ad 1.

115

Eeda in
5. ca. Ia-
cob. & su-
per 6. c.
Marci
super il-
lud Da-
monia
multa ei
ciebant.

facramentum sit quædam unctio, requirit materiam
consecratam.

RESPONDEO dicendum, quod quidam dicunt
quod oleum simplex est materia huius sacramenti;
& in ipsa sanctificatione olei, quæ sit per Episcopum,
perficitur sacramentum. Sed hoc patet esse falsum
ex his quæ de Eucharistia dicta sunt, ubi osten-
sum est, quod solum illud sacramentum consistit in
consecratione materiae.

Et ideo dicendum, quod hoc sacramentum con-
sistit in ipsa unctio, sicut baptismus in ipsa ablu-
tione; & materia huius sacramenti est oleum
sanctificatum. Potest autem triplex ratio assignari,
quare exigitur materiae sanctificatio in hoc sacra-
mento, & in quibusdam alijs. Prima est, quia
omnis efficacia sacramentorum à Christo descendit
& ideo sacramenta illa, quibus ipse est usus, ha-
bent efficaciam ex ipso usu suo; sicut tactu suæ car-
nis vim regeneratiuam contulit aquis. Sed hoc sacra-
mento non est usus nec aliqua corporali unctio-
ne; & ideo in omnibus unctionibus requiritur san-
ctificatio materiae. Secunda causa est propter ple-
nitudinem gratiæ, quæ confertur non solum ut tol-
lat culpam, sed etiam reliquias, & infirmitatem
corporis. Tertia est ex hoc, quod effectus eius
corporalis, scilicet sanatio corporalis, non causatur
ex materia naturali proprietate: & ideo oportet,
quod hæc efficacia sibi per sanctificationem detur.

Ad primum ergo dicendum, quod prima sancti-
ficatio est materiae secundum se, sed secunda magis
pertinet ad usum ipsius, secundum quod est actu con-
ferens effectum suum: & ideo neutra superfluit, quia
etiam instrumenta efficaciam accipiunt ab artifice, &
dum sunt, & dum ad actum applicantur.

Ad secundum dicendum, quod illa efficacia quæ
est ex ipsa institutione sacramenti, applicatur huic
materiae per sanctificationem.

Ad tertium patet solutio ex dictis*.

ARTI.

**In 4. d.
8. q. 2. a.
1. q. 1.
ad 2. q.
quæ se-
quent.*

*Infra q.
30. ar. 2.
corp.*

*In corp.
a. 1.*

Vtrum oporteat materiam huius sacramenti esse consecratam per Episcopum ?

116

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod non oporteat materiam huius sacramenti esse consecratam per Episcopum. Quia dignior est consecratio materię in sacramento Eucharistię, quã in hoc sacramento. Sed in Eucharistia materiam sacerdos potest consecrare. Ergo & in hoc sacramento.

Al. operationibus.

**tex. 25.*

**infra q. 31. art. 3*

¶ 2 Præterea, In operibus * corporalibus ars dignior numquam præparat materiam inferiori: quia dignior est ars quæ vtitur, ea quæ præparat, ut dicitur in 2. Physic.* Sed Episcopus est supra sacerdotem. Ergo non præparat materiam in illo sacramento quo sacerdos vtitur. Sed sacerdos dispensat hoc sacramentum, ut dicitur *. Ergo consecratio materię ad Episcopum non pertinet.

SE D contra est, quia etiam in alijs vnctionibus materia per Episcopum consecratur. Ergo ita debet esse in ista.

RESPONDEO dicendum, quod minister sacramenti non inducit effectum sacramenti propria virtute, ut principale agens, sed per efficaciam sacramenti, quod dispensat: quæ quidem efficacia primo est à Christo, & ab ipso in alios descendit ordinate, scilicet in populum, mediantibus ministris, qui sacramenta dispensant; & in ministros inferiores mediantibus superioribus, qui materiam sanctificant. Et idem in omnibus sacramentis, quæ indigent materia sanctificata, prius sanctificatio materię fit per Episcopum, & vsus quandoque per sacerdotem: ut ostendatur sacerdotalis potestas ab Episcopali derivata, secundum illud Psalmi 132. Sicut unguentum in capite, scilicet in Christo, quod prius descendit in barbam Aaron, deinde vsque ad ornametum vestimenti.

Aug. super eum loc. i. sal.

Ad primum ergo dicendum, quod sacramentum Eucharistię consistit in ipsa materię sanctificatione, non

nō autem in usu: & ideō proprie loquendo, illud quod est materia sacramenti, non est quid consecratum: unde nō præxigitur aliqua sanctificatio circa materiam per episcopum facta, sed exigitur sanctificatio altaris, & huiusmodi; & etiam ipsius sacerdotis, quæ non nisi per Episcopum fieri potest. Unde in illo etiã sacramento ostenditur potestas sacerdotalis ab Episcopo deriuata, vt Dionys. dicit †. Ideō autem illam consecrationem materiæ potest facere sacerdos, quæ est in se sacramentum, & non illam, quæ vt sacramentale quoddam ordinatur ad sacramentum, quod consistit in usu fidelium: quia quantum ad corpus Christi verum, nullus ordo est supra sacerdotium; sed quantum ad corpus Christi mysticum, Episcopalis ordo est supra sacerdotalem, vt infra dicetur †.

*ex cap. 3.
eccl. hier.*

q. 40. r. 4

Ad secundum dicendum, quod materia sacramenti non est talis materia, vt in qua fiat aliquid per eum qui ea vritur, sicut est in artibus mechanicis; sed vt eius virtute aliquid fiat: & sic participat aliquid de ratione causæ agentis, in quantum est instrumentum quoddam diuinæ operationis. Et ideō oportet quod à superiori arte, vel potestate talis virtus materiæ acquiratur. Quia in causis agentibus quanto aliquod agens est prius, tanto est perfectius: in causis autem pure materialibus quanto materia est prior, tanto imperfectior.

ARTIC. VII.

Virum hoc sacramentum habeat aliquam formam?
Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod hoc sacramentum non habeat aliquam formam. Cum enim efficacia sacramentorum sit ab institutione, & item à forma, oportet quod forma tradatur ab ipso, qui sacramentum instituit. Sed forma huius sacramenti, non inuenitur tradita neque à Christo, neque ab Apostolis. Ergo hoc sacramentum non habet aliquam formam.

*117
Tho. ubi
sup. ar. 4.
q. 1. c.
se 99.*

¶ Præterea, Ea quæ sunt de necessitate sacramenti, observantur eodem modo apud omnes. Sed nihil magis

magis est de necessitate sacramenti habentis formam, quam ipsa forma. Ergo cum non sit aliqua forma communiter obseruata ab omnibus in hoc sacramento, quia diuersi diuersis verbis vtuntur; videtur, quod hoc sacramentum non habeat aliquam formam.

¶ 3 Præterea, In baptismo non requiritur forma nisi ad sanctificationem materiæ, quia est aqua verbo vitæ diluendis criminibus sanctificata*. Sed hoc sacramentum habet materiam prius sanctificatam. Ergo non indiget aliqua forma verborum.

SED contra est, quod Magister † dicit, quod omne sacramentum nouæ legis consistit in rebus & verbis. Verba autem sunt forma sacramenti. Ergo cum hoc sit sacramentum nouæ legis, videtur, quod habeat formam.

¶ Præterea, Ad hoc est ritus vniuersalis ecclesiæ, quæ quibusdam verbis vtitur in collatione huius sacramenti.

RESPONDEO dicendum, quod quidam dixerunt, quod nulla est forma de necessitate huius sacramenti. Sed hoc videtur derogare effectui huius sacramenti. Quia omne sacramentum efficit significando; significatio autem materiæ non determinatur ad effectum determinatum, cum ad multa se possit habere, nisi per formam verborum: & ideo in omnibus sacramentis nouæ legis, quæ efficiunt quod figurant, oportet esse, & res, & verba. Et præterea Iacobus totam vim huius sacramenti videtur constituere in oratione, quæ est forma huius sacramenti, vt dicitur*. Et ideo prædicta opinio præsumptiuosa videtur & erronea. Et propter hoc dicendum, sicut communiter dicitur, quod habet formam determinatam, sicut & alia sacramenta.

Ad primum ergo dicendum, quod sacra Scriptura omnibus communiter proponitur: & ideo forma Baptismi, qui ab omnibus dari potest, debet in sacra Scriptura exprimi: & similiter forma Eucharistiæ,

Hugo de
S. Viñt.
lib. Sum-
ma Sent.
tract. 9.
c. 4. & ci-
tat Tho.
in 4. d. 3.
q. unica.
ar. 1. q. 2.
ar. 1.
† lib. 4.
sent. d. 1.
S. D.

Iacob. 3.

* in re-
spon. ad
2. huius
art. et q.
presenti,
ar. 8. et 9

quæ e-
celicitas
non in
eccles-
mino
accep-
Ad
de est
omnib
non ob-
Ad
bet qu-
carnis
ctificat
sanctifi-
se, rec-
fuitur

Vtrum

et

A

H

nem in

omnia

sum.

mis sac-

vt cum

baptiz-

se orat-

¶ 2

exprim-

mentum

non ex-

Ergo,

¶ 3

hæc ve-

oculos

quæ

quæ exprimit sacramenti illius fidem, quæ est de necessitate salutis. Sed formæ aliorum sacramentorum non inveniuntur in sacra Scriptura traditæ: sed hæc ecclesia ex traditione Apostolorum habet, qui à Domino acceperunt: vt dicit Apost. 1. Cor. 11. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, &c.

Ad secundum dicendum, quod illa verba, quæ sunt de essentia formæ, scilicet oratio deprecatiua, ab omnibus dicuntur: sed alia, quæ sunt de bene esse, non obseruantur ab omnibus.

Ad tertium dicendum, quod materia baptismi habet quamdam sanctificationem per se ex ipso tactu carnis Saluatoris: sed ex forma verborum accipit sanctificationem actu ad sanctificantem: & similiter post sanctificationem materiæ huius sacramenti secundum se, requiritur sanctificatio in vsu, per quam actu sanctificet.

ARTIC. VIII.

Utrum forma huius sacramenti debeat proferri per orationem indicatiuam, & non per deprecatiuam?

118

Ad octauum sic proceditur. Videtur, quod forma huius sacramenti debeat proferri per orationem indicatiuam, & non per deprecatiuam. Quia omnia sacramenta nouæ legis habent certum effectum. Sed certitudo effectus non exprimitur in formis sacramentorum, nisi per orationem indicatiuam, vt cum dicitur, hoc est corpus meum, vel ego te baptizo, &c. Ergo forma huius sacramenti debet esse oratio indicatiua.

¶ 2 Præterea, In formis sacramentorum debet exprimi intentio ministri, quæ requiritur ad sacramentum. Sed intentio conferendi sacramentum non exprimitur nisi per orationem indicatiuam. Ergo, &c.

¶ 3 Præterea, In quibusdam Ecclesijs dicuntur hæc verba in collatione huius sacramenti, Vngo hos oculos oleo sanctificato, in nomine Patris, &c. Et hoc est

est conforme alijs forais sacramentorum . Ergo videtur quòd in hoc consistit forma huius sacramenti .

arg. 2. huius art.

SED contra, illud quod est forma sacramenti, ab omnibus oportet quòd seruetur. Sed verba prædicta non dicuntur, secundum consuetudinem omnium Ecclesiarum sed tantum verba deprecatoria, scilicet, Per istam sanctam vñtionem & pijsimam suam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum, &c. Ergo forma huius sacramenti est oratio deprecatoria .

Jacob. 5.

¶ Præterea, Hoc videtur ex verbis Jacobi, qui attribuit efficaciam huius sacramenti orationi . Oratio fidei (inquit) saluabit infirmum . Ergo cum efficacia sacramenti sit ex forma, videtur quòd forma huius sacramenti sit oratio deprecatoria .

RESPONDEO dicendum, quòd forma huius sacramenti est oratio deprecatoria, vt patet per verba Jacobi, & ex vsu Romanæ Ecclesiæ, quæ solum verbis deprecatorijs vtitur in collatione huius sacramenti cuius ratio multiplex assignatur . Primo, quia suscipiens sacramentum hoc, est viribus proprijs destitutus: vnde indiget orationibus subleuari. secundo, quia datur exeuntibus qui iam desinunt esse de foro ecclesiæ, & in solius Dei manu requiescunt; vnde & per orationem committuntur . Tertio, quia hoc sacramentum non habet aliquem effectum qui semper ex operatione ministri consequatur omnibus que sunt de essentia sacramenti etiam ritè peractis, sicut character in Bâptismo & Confirmatione, & transubstantiatio in Eucharistia, & remissio peccati in penitentia, existente contritione, quæ est de essentia huius sacramenti . Et ideo in hoc sacramento non potest esse forma indicatiui modi, sicut in prædictis sacramentis .

sub finem corp.

Ad primum ergo dicendum, quòd hoc sacramentum, sicut & prædicta, quantum est de se, habet certitudinem, sed potest ex fictione recipientis impediri, etiam si sacramento se subijciat per intentionem sic

sic quòd hoc non quibus. Ad facta qui ponit cionem Ad te modi, tunur sed sur mialit

VITUS

AD A cramen fit ment quæ non uenit in rum fac mencor sed ma debet h in litera mentio non au ordinat infirmu RES est can itegap vncion scilicet remissi Su

sic quod nullum effectum consequatur. Et propter hoc non est simile de hoc & de alijs sacramentis, in quibus semper aliquis effectus consequitur.

Ad secundum dicendum, quod per ipsum actum, qui ponitur in forma (scilicet, per istam sanctam vocationem) satis exprimitur intentio.

Ad tertium dicendum, quod verba illa indicatiui modi, quæ secundum morem quorundam præmittuntur orationi, non sunt forma huius sacramenti: sed sunt dispositio ad formam, in quantum intentio ministri determinatur ad actum illum per illa verba.

ARTIC. IX.

Virum prædicta oratio sit competens forma huius sacramenti?

Ad nonum sic proceditur. Videtur, quod prædicta oratio non sit competens forma huius sacramenti. Quia in formis aliorum sacramentorum fit mentio de materia (sicut patet in confirmatione) quæ non fit in prædictis verbis. Ergo non est conueniens forma.

¶ 2. Præterea, sicut effectus huius sacramenti prouenit in nos per misericordiam diuinam, ita & aliorum sacramentorum. Sed in formis aliorum sacramentorum non fit mentio de misericordia diuina, sed magis de Trinitate & Passione. Ergo similiter debet hic esse.

¶ 3. Præterea, duplex effectus huius sacramenti in litera ponitur. Sed in verbis prædictis non fit mentio nisi de vno, scilicet remissione peccatorum, non autem de corporali sanatione, ad quam Iacobus ordinat orationem fidei, dicens, Oratio fidei saluabit infirmum. Ergo forma prædicta est incompetens.

RESPONDEO dicendum, quod prædicta oratio est competens forma huius sacramenti: quia tangit sacramentum, in hoc quod dicitur, Per istam sanctam vocationem: & illud quod operatur in sacramento, scilicet diuinam misericordiam; & effectum, scilicet remissionem peccatorum.

Supplementum.

R.

Ad

119

Conc. Florent. in doctr. de sacram.

lib. 4. scilicet. d. 23. §. B

* in arg. 2. preced. art.

Ad primum ergo dicendum, quod materia huius sacramenti potest intelligi per actum vñtionis, non autem materia confirmationis per actum in forma expressum: & ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod misericordia respicit miseriam: & quia hoc sacramentum datur in statu miseriar, scilicet infirmitatis, ideo potius hic quam in alijs fit mentio de misericordia.

Ad tertium dicendum, quod in forma debet exprimi effectus principalis, & qui semper inducitur in sacramento, nisi fit defectus ex parte recipientis. Non autem talis effectus est corporalis sanitas, ve dicitur *, quamvis quandoque sequatur: ratione cuius Iacobus hunc effectum attribuit orationi, quæ est forma huius sacramenti.

q. sequenti
ar. 2.

† Concil.

Trid. sess.

14. de sa-

cram. ex-

trema vñ-

tionis, c.

2.

QVÆST. XXX.

De effectu † huius sacramenti, in tres articulos diuisa.

D Binde considerandum est de effectu huius sacramenti.

¶ Circa quod quærentur tria.

¶ Primo, vtrum extrema vñtio valeat ad remissionem peccatorum?

¶ Secundo, vtrum sanitas corporalis sit effectus huius sacramenti?

¶ Tertio, vtrum hoc sacramentum characterem imprimat?

ARTIC. I.

Vtrum extrema vñtio valeat ad remissionem peccatorum?

120

Thom. 4.

d. 23 q. 1.

ar. 2. q. 1.

& seq.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod extrema vñtio non valeat ad remissionem peccatorum. Ad hoc enim quod per vnum potest effici, aliud non exigitur. Sed in eo qui extremam vñtionem accipit, requiritur penitentia ad peccatorum remissionem. Ergo per extremam vñtionem non dimittuntur peccata.

¶ 2. Præerea, In peccato non sunt nisi tria, macula,